

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 4, Liber 6: De conuictu viri et mulieris

De laudibus mulierum et acceptabilitate earum: Rubrica i

In genesi capitulo 13. Dixit dominus mulieri. In dolore paries filios: et sub viri potestate eris et ipse dominabitur tibi.

Aristoteles de hystoria animalium libro 8. capitulo i. Mulier viro misericordior est. Minus sunt iracunda femella omnia masculinis: excepta vrsa et pardolo.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 36. Ubi non est sepes diripitur possessio: et vbi non est mulier gemescit eger.

Paulus apostolus in epistola i. ad corinthios capitulo 11. Mulier gloria est viri. Non est creatus vir propter mulierem: sed mulier propter virum.

Lex codici titulo qui potiores in pignore habeantur l. assiduis: Quis mulieres non miseretur propter obsequia que maritis prestant: propter partus periculum: et ipsam liberorum procreationem?

Commented [CN1]: fol.114va

De viciis mulierum et reprobatione earum: Rubrica 2

Salomon in prouerbiis capitulo 31. et finali. Mulierem fortem quis inueniet? Idem in ecclesiastice capitulo 7. Ait salomon virum de mille vnum reperi. Mulierem ex omnibus non inueni.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 25. Omnis malitia est nequitia mulieris. Non est caput nequius super caput colubri: et non est ira super iram mulieris. Breuis omnis malitia super malitiam mulieris. A muliere initium factum est peccati: et per illam omnes morimur. Non des mulieri venam nequem prodeundi.

Terentius in eunucho capitulo 18. Noui ingenium mulierum: nolunt vbi velis: vbi nolis cupiunt vltro.

Uirgilius eneide libro 4. circa finem. Uarium et mutabile semper Femina.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 13. Mulierum genus auarum est.

Quintilianus declamationum i. declamatione. Sunt et feminis ad scelere vires cum habent causas virorum. Quinimmo si interroges: facilius hec pectora metus: odium ira corrumpunt. et quoniam non habent roboris tantum vnde vicia mentium vincant plerunque facinus infirmitate fecerunt.

Seneca tragediarum in hyppolito capitulo 7. Quid sinat inausum femine preceps furor. Idem de remediis fortuitorum capitulo 21. et finali. Quam multe diu custoditam perdiderunt decus. Nihil tam mobile quam feminarum voluntas: nihil tam vagum. Quam multe quos in adolescentia amauerunt in senectute communi reliquerunt. Quam multarum notus amor odio nocior emutatus est.

Iuuenalis libro 2. satyra vnica. Intolerabilius nihil est quam femina diues.

Lex codici titulo de sponsalibus l. si pater. Plerunque consilium femine aduersus propria commoda inuenitur laborare.

Commented [CN2]: fol.114vb

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 11. Sexus femineus ad mutabilitatis vitia patet.

Bernardus de improbatione vitiorum capitulo 6. Pestis auaritie fragili viget in muliere.

Andreas ad gualterium de amore libro 3. et finali. Fluctuosus est animus mulieris et inscrutabilis. Idem in libro de dissuasionem vxorationis. Mulier in amplexu demolitur et molit. Uir in mollitiam abiens deiuratur. Operosa est mulieris astutia: sumitque animos in crimine deprehensa. Per mulierem vir se virum dediscit.

Iacobus beneuentanus capitulo 42. Non bene secretum mulier tenet: immo reuelat. Capitulo 50. Mobile cor cunctis et mens est vana puellis. / Firmum propositum femina nulla gerit.

De laude matrimonii et acceptabilitate: Rubrica 3

In genesi capitulo 2. Reliquet homo patrem et matrem et adhaerebit vxori sue: et erunt duo in carne vna.

Thobie capitulo 6. Hi qui coniugium ita suscipiunt vt deum a se sua mente excludant: et sue libidini ita vacent: sicut equus et mulus in quibus non est intellectus: habet potestatem diabolus super eos.

Aristoteles hyconomicorum libro. i. Communicatio femine et masculi natura est maxime.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 25. Beatus qui habitat cum muliere sensata. 26. capitulo. Mulieris bone beatus vir: numerus enim bonorum illius duplex. Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.

Catullus poeta capitulo 9. Est ne nouis nuptiis odio venus atque parentum / Frustrantur falsis gaudia lachrymulis.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 7. Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat: et vnaqueque suum virum habeat. Dico non nuptis et viduis: bonum est illis: sic maneant. Quod si non continent nubant. Melius est enim nubere quam vri. Solutus ab vxore: es noli querere vxorem. Si autem acceperis vxorem non peccasti. Idem epistola ad hebreos capitulo 13. et finali. Honorabile est connubium in omnibus: et totus immaculatus.

Commented [CN3]: fol.115ra ["114ra"]

Seneca de remediis fortuitorum 21. et finali. Uxor aduenticium bonum est: non est inter illa que vnicuique semel contingunt.

Lex autentici titulo de consulibus §. alia vero non decorabitur. Uxores coruscantur radiis maritorum.

De prouidentia contrahendi vel non contrahendi matrimonium: Rubrica 4

Cronica de nugis philosophorum capitulo 7. scilicet de cleobolo. Cleobolus vnus de septem sapientibus ait vxorem ducendam ex paribus. Nam si ex maioribus ceperis: inquit duos habebit cognatos.

Aristoteles hyconomicorum libro 3. et finali. Oportet nihil omittere curantem ad virtutem vxoris seipsum: vt iuxta posse ex optimis prolem posset procreare.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 7. Trade filiam: et grande opus feceris et homini sensato da illam.

Ouidius epistolarum epistola 9. Quam male inequales veniunt ad aratra iuueni. / Tam premitur magno coniuge nupta minor. / Si qua voles apte nube pari. Idem de fastis libro 3. Nubere si qua voles quamuis properabitis ambo / Differ. habent parue commoda magna more. Libro 5. Mense malum maio nubere vulgus ait.

Seneca de remediis fortuitorum capitulo 21. et finali. Inuenies si nihil queris nisi bonam vxorem.

Cato capitulo 4. Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis. Nec retinere velis si ceperit esse molesta.

Bertrandus hyconomica capitulo 27. et finali. Mater remaritari querit: stulte agit. Sed vt peccata sua deploret: vtinam ipsa senex accipiat iuuenem: nam non ipsam: sed sua quesuiuit: quibus habitis bibet cum eo doloris calicem: quem optauit.

Iacobus beneuentanus capitulo 46. Nolo quod vxorem ducas cui non dominari aut quam non possis tibi bene corrigere.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Quo fuit asperior que postea nupsit amanti. / Tanto gratior est ipsa futura viro.

De officio et cura pertinendi ad vxores et maritos: Rubrica 5

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Mulier diligens corona est viro suo. 14. capitulo. Sapiens mulier edificat domum suam. Insiapiens exstructam quoque destruet manibus.

Plato in menonen circa principium. Decet mulierem domum bene dispensare: salua facientem que intrinsecus: et obsequentem esse viro.

Commented [CN4]: fol.115rb ["114rb"]

Aristoteles hyconomicorum libro 3. et finali. Bonam mulierem his que intus sunt decet dominari omnibus curantem singulorum. Auri multitudo non tanti est ad virtutem mulieris quanti moderantia in omni opere et desiderium honeste et bene ordinate vite. Difficile est viro scire que intus fuit. Audiat quidem mulier virum in omnibus: et secum deliberet et obediat etiam in eo quod ille preceperit. Non sic viro turpe est eorum que intus sunt aliquid agere: sicut mulieri inquirere eo que sunt foris.

Petrus apostolus epistola i. capitulo 3. Mulieres subdite sint suis viris.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 7. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et vxor viro. Idem epistola ad colossenses capitulo 3. et penultimo. Mulieres subdite estote viris: sicut oportet in domino.

Seneca de remediis fortuitorum capitulo 21. et finali. Cum maritum te cogitaueris et virum cogita.

De mutua dilectione et fide mariti et vxoris: Rubrica 6

In genesi 2. capitulo. Reliquet homo patrem et matrem et adherebit vxori sue: et erunt duo in carne vna.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 7. Uiro et vxori amicitia videtur secundum naturam existere. homo enim **in** natura coniugale magis quam polyticum. Idem hyconomicorum libro i. Communicatio femine et masculi natura est maxime. Maximus est honor. honeste mulieri si respicit virum suum castum esse in eam: et de nulla alia muliere curare: sed preter omnes alias propriam et amicam et fidelem putet eam. Si mulier cognouerit fideliter et iuste virum erga se fore: et ipsa iuste et fideliter erga virum suum erit. Nihil est proprius nec maius vxori: preciosa communicatione et fideli ad virum.

Paulus apostolus in epistola ad ephesios capitulo 5. Ita viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit seipsum diligit. Unusquisque suam vxorem sicut semetipsum diligit. Uxor autem timeat virum. Idem epistola ad colossenses capitulo 3. et penultimo. Uiri diligite vxores vestras: et nolite amari esse ad alias.

Seneca tragediarum in agamenone capitulo 4. Ultimum est malum: / Palam mariti possidens pelex domum. In hercule etheo capitulo 5. O quam cruentus feminam stimulat dolor: / Cum patuit vna pelici et nupte domus.

Lucanus libro 8. Ultima debet / Esse fides lugere virum.

Cato capitulo i. Coniugem ama. Capitulo 4. Uxor is linguam si frugi est ferre memento.

De adulterio: Rubrica 7

In exodo 20. capitulo. Non desiderabis vxorem proximi tui.

Commented [CN5]: fol.115va

In leuitico capitulo 18. Cum vxore proximi tui non coibis.

Moyses in deuteronomio capitulo 22. Si dormierit quis cum vxore alterius: vterque moriatur. i est adulter et adultera. 27. capitulo. Maledictus qui dormierit cum vxore proximi sui.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 41. Non respicias mulierem alieni viri.

Paulus apostolus epistola ad hebreos capitulo 13. et finali. Fornicatores et adulteros iudicabit deus.

De castitate pudicitia atque impudicitia: Rubrica 8

Commented [CN6]: fol.115vb

Theophrastus in aureolo tractatu de nuptiis. Illa vere pudica est dicenda cui licuit peccare: sed noluit.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnosceatur.

Terentius in heautontimerumenon capitulo 10. Mulier compta faceta hec est meretrix.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 8. Casta est quam nemo rogauit. / At si rusticitas non vetat ipsa rogat. Libro 3. et finali capitulo 8. Siqua metu dempto casta est: ea denique casta est / Que quia non liceat non facit: ipsa facit / Ut iam seruans bene corpus: adultera mens est.

Quintilianus declamationum 2. declamatione. Ego si qua est mihi fides pudicitiam in milite etiam laudare erubesco: feminarum est ista virtus. Aliter mihi laudandus est vir fortis idoneus bello: promptus ad pericula prestantis animi.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 11. capitulo i. Plures pudore peccandi quam bona voluntate prohibiti abinent.

Ualerius maximus libro 2. titulo i. Massilia ciuitas nullum aditum in scenam numis dat: quorum argumenta maiori ex parte stuprationum continent actus talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat.

Lex autentici titulo quomodo oportet episcopos etc. §. qui vero eas. Pudicitia quam maxime mulieres ornat.

Marcialis cocus epygrammaton libro 4. Tanquam non liceat nulla puella negat. / Casta igitur nulla: sunt caste nulle: quid ergo / Casta facit: non dat: non tamen illa negat.

Maximianus. Castus amor veneris dicite quando sitit.

Montanarius in luna cleri capitulo 3. Res est difficilis casta bene ducere vitam. / Nulla fere maior quam casta viuere pena. / Sola namque suum finitur morte duellum.

De custodia et indagazione suspecte impudicitie mulieri: Rubrica 9

Commented [CN7]: fol.116ra

Theophrastus in aureolo tractatu de nuptiis. Quid prodest diligens vxoris custodia cum vxor impudica seruari non possit: pudica non debeat. Infida enim custos est castitatis necessitas. Difficile custoditur quod plures amant. Ad minorem miseriam domini deformis habetur quam formosa seruatur: nihil tutum est in quo totius populi vota suspirant. Alius forma: alius ingenio: alius faceciis: alius liberalitate sollicitat: aliquo modo expugnatur quod vndique accersitur.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 26. In filia non auertente se firma custodiam: ne inuenta occasione vtatur se.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 3. capitulo 4. Dure vir imposito tenere custode puelle: / Nil agis: ingenio queque tuenda suo est. / Nec custodiri ni velit vlla potest. / Nec mentem seruare potes licet omnia claudas. / Cum peccare licet peccat minus ipsa potans. / Semina neque languidiora facit. / Desine crede mihi vitia irritare vetando. / Obsequio vinces aptius ipse tuo. / Nitimur in vetitum: cupimus semperque negata / Centum fronte oculos centum ceruice gerebat / Argus: et hos vnus sepe fefellit amor. / Iuuat inconcessa voluptas. / Si sapis indulgere domine. vultusque seueros / Exue: nec rigidi iura tuere viri. Idem de arte amandi libro i. circa finem. Heu facinus: non est hostis metuendus amanti / Quos credis fidos effuge tutus eris. Libro 2. circa finem. Cogis adulterium dando tempusque locumque.

Quintilianus declamationum 14. declamatione. Amat que queritur quod non amatur.

Iuuenalis libro 2. satyra i. Si quis custodiet ipsos: / Custodes: casta est. et ab ipsis incipit vxor.

Bertrandus hyconomica capitulo 10. De feminis tuis suspectis quid agant ignorantiam **non** scientiam queras.

Commented [CN8]: fol.116rb

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Nolo virum doceas vxoris crimen amare. / Quod sciri potius quam fieri grauat hunc. / Opprobriis aurem propriis dat nemo libentur / Nec te: nec quemquam talia scire vellet. / De quo culpasti mulierem cogis amare. / Et verum falso crimine sepe struis.

De modestia vxorum et dissuasionem vxorationis: Rubrica 10

Salomon in prouerbiis capitulo 21. Melius est habitare in terra deserta quam cum muliere rixosa et iracunda.

Theophrastus in aureolo tractatu de nuptiis. Ad minorem miseriam domini deformis quam formosa seruatur: nihil tutum est in quo totius populi vota suspirant. Alius forma alius ingenio: alius facetiis: alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo expugnatur quod vndique accersitur.

Aristoteles hyconomicorum libro 3. et finali. Aduersitates nolunt communicare non optime mulierum.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 25. Mulier si primatum habeat contraria erit viro suo.

Terentius in hecyræ capitulo 5. Uno animo omnes socrus oderunt nurus: viris esse aduersas: eque studium est: similis pertinacia est. In eo denique omnes mihi videntur ludo docte ad malitiam.

Quintilianus declamationum i. declamatione. Facinus est: quod bonos preuignos nouerice facilius decipiunt: nec leuius oderunt. Notum hoc ac vulgare facinus est quod plerunque contra liberos amantur vxores et sequentium matrimoniorum non aliunde quam de damno pietatis effectus est. Genus infirmissime seruitutis est senex maritus et vxore charitatis ardorem flagrantius frigidis concipimus affectibus.

Iuuenalis libro 2. satyra i. Semper habet lites alternaque iurgia lectus. / In quo nupta iacet: minimo dormitur in illo.

Fulgentius mitologiarum libro i. fabula 21. et finali. Sicut nihil benigna superius coniuge: ita nihil infesta crudelius muliere.

Cato capitulo 2. Nil temere vxori de seruis crede querenti. Sepe et enim mulier quem coniunx diligit odit.

Andreas capellanus pape Innocentii iiii. in libro de dissuasione vxorationis. Si mulieri anchoram alligaueris sirtibus latentibus illideris. O felix vita mortalium si iam non corrumpentur contubernia mulierum: quas coitui tantum necessarias dicimus: vt ex simili simile natura artifice producamus. Uiuere philosophie non vxori. Si casta fuerit: superbia non deerit. si diues: si nobilis: coniugem aspernabitur: et formosam plerunque suspitio comitatur. Si turpis: nunquam lectus carebit murmure. Si incesta rubescet facies in pudore: eo frequenter tibi accidit quod vxore contenta contemnitur deus: et inde nascatur iniuria vnde debuit prodire concordia. Libertas tibi adimitur si nequam femina societur: nec tuus esse poteris: quia quo fugias non habebis. Si iuuenem senex duxerit contemneris. Si senex seni coniungitur voluptatis amor non sequitur.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 50. Est mulier lingosa viro pars mortis amare. / Nocte dieque modis mille fatigat eum. / Cum bene prandere potare quiescere secum / Optat: tunc illa iurgia seua parat. / Non mare turbatum magis pugnare carinam / Fertur: quam mulier litigiosa virum.

Bertrandus hyconomica capitulo 10. Dolorem de mala vxore tunc mitigabis: quando audies de vxoribus alienis.

De conseruatione aut separatione matrimonii: Rubrica 11

Mattheus in euangelio capitulo 19. Quod deus coniunxit homo non separet. Idem non dixit Marcus 10. capitulo. Moyses ad duritiam cordis nostri permisit vobis dimittere vxores vestras. Quicumque dimiserit vxorem suam: excepta causa fornicationis et aliam duxerit mechabitur. Et qui dimissam duxerit mechatur. Idem luca 16. capitulo.

Marcus in euangelio capitulo 16. Quicumque dimiserit vxorem suam et aliam duxerit: adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum et alii nupserit mechatur.

Paulus apostolus epistola i. ad corinthios capitulo 7. Hi qui matrimonio iuncti sunt precipio non ego: sed dominus vxorem a viro non discedere. Quod si discesserit manere innupta: aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Alligatus es vxori: noli querere solutionem.

Commented [CN9]: fol.116va

Commented [CN10]: fol.116vb